

Alte Drucke

**STATVTA || ORDINIS DOMVS || HOSPITALIS HIERV=||SALEM.
|| [Letzte Seite:] AVSPICIIS AC IVSSV REVERENDISS. D. || F.
CLAVDII DELA SENGLE, || ET TOTIVS ...**

La Sengle, Claude de

Romae, 1556

**QVOD NON LICET FRATribus testamenta condere, haeredem instituere, aut
legata facere.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150200

DE PROHIBITIONIBVS

QVOD NON LICET FRAT-
tribus testamenta condere, hæredem
instituere, aut legata facere.

F. Hugo Reuel.

i.



OTVM
pauper-
tatis id
exigit,
ut bo-
norum
dispo-
sitio li-
beræ vo-
luntati

non subiaceat. Non licet igitur, nec quoquo
modo permittitur Baiuliis, Prioribus, Ca-
stellano Empostæ, Commendatarijs, aut alijs
ordinis nostri fratribus testamentum conde-
re, uel hæredem instituere, seu legata facere.
atq; etiam seruatoribus seu alijs aliquid elar-
giri,

giri, nisi tantum eorum stipendia, ac debitorū
& creditorum declarationem redigere, &
cum licentia Magistri de eorum moderata
portione disponere.

De eodem.

F. CLAVDIVS de la sengle.

QUÆ quidem portio non excedat sextā 2.
partem pecuniæ numeratæ aut bonorū
mobiliū, deductis ex huiusmodi bonis om-
nibus debitis, & ære alieno tam nostri com-
munis ærarij q̃ aliorum, ac creditis, quæ in-
tegrè reseruantur ipsi ærario. Huiusmodi ue-
rò licentia fratribus in conuentu decedentis
bus & non alijs per Magistrum concedi pos-
test. Magister autem non nisi de licētia capiz-
tuli generalis, aut in articulo mortis concilij
completi, de aliqua parte mobiliū suorum
disponere possit.

F. Nicolaus Lorgue.

NON liceat cuiquam fratrum nostrorū 3.
aliquē in sacri baptismatis fonte recipere

DE PROHIBITIONIBVS

re absq; sui superioris licētia, nisi baptizādus
esset filius Baronis aut maioris Domini.

F. CLAVDIVS de la sengle.

4. **P**rohibetur fratribus ordinis nostri cuius
cunq; conditionis fuerint seruum suum
infidelem (idest non baptizatum) libertate
donare absq; Magistri & capituli generalis
licentia.

Quòd fratres non se intromittant in
causis sæcularium.

F. Hugo Reuel.

5. **I**nhibemus omnibus ordinis nostri fratri-
bus ne quoquo modo de personis sæculari-
bus, quæ propter delicta sua hic in nostra ius-
risdictione capitis pœnam incurrunt, se intro-
mittant, aut eis fauorem seu auxilium præ-
stent uel dari procurent. Quinimo tales cri-
minosi pro demeritis condemnandi & puni-
endi curiæ sæcularis iudicum libero iudicio
permittantur.

F. CLAVDIVS de la sengle.

Neq; etiam in causis ciuilibus eorundem 6.
sæcularium quoquo modo id fiat clam
uel palam per se aut per alium. Qui contra
fecerit, grauiter plectatur ad arbitrium Ma-
gistri & concilij.

Quòd frat. nō intercedāt pro frat. deliquēte.

F. Ioannes de Lastico.

Statuimus q; quotiescunq; iusticia de alijs 7.
quo fratre delinquente ministrari debet,
non liceat cuiq; fratrum nostrorum pro ipso
intercedere aut precari, donec sententia lata
fuerit. Tunc enim pro moderatione pœnæ cō-
demnati intercedere poterit. Is uerò ad quem
remissio pertinet pro arbitrio suo pœnam mi-
tigabit, aut exequi faciet.

F. Elionus de villa noua.

Nvlli fratrum nostrorum aut sæcularij 8.
omnino liceat transportare aut ducere
extra conuentum aliquam equitaturam, nisi
de expressa licetia Magistri, qui cum probos-
rum consilio eam elargiri possit.

8. **Q**uod fratres iuramento uel cōfœderatione nemini se astringāt.

F. Remondus Berengarius.

9. **N**on licet fratribus nostris aliquo pacto se homagio, cōfœderatione, uel iuramento alicuius, modo Hispaniæ aut aliter, sine Magistri seu Prioris & Castellani Empostæ licentia adigere uel astringere: nec concilia siue conuenticula inire aut facere. Qui uerò contra fecerit pœna priuationis habitus plectetur, quæ si recuperauerit, nihilominus decennio administratione commendæ seu Baziuliæ gaudere non possit.

Quod fratres non acceptent res litigiosas.
Idem Magister.

10. **P**rohibemus ne fratres ordinis nostri aut Donati concessionem, donationē, uel cessionem rei litigiosæ à sæculari persona percipiant, acceptent, uel emant. Qui contra fecerit perdat habitū, & si Donatus sit comitiua fratrum priuetur, & in carcerem trudatur.

Quòd fratres extra Prioratus uel
commendas non uagentur.

F. Philibertus de Nilliaco.

PROhibemus quòd cōmendatarij et fratres
ordinis nostri extra Prioratus, Castellaz
niam Emposæ, & cōmendas quarum obedien-
tiæ suppositi sunt, nullo pacto exire ualeāt
iniussu Magistri aut Prioris uel Castellani
Emposæ aut cōmendatarij, quorum licentia
id facere possint ad tempus, si necessitas aut
utilitas Religionis impulerit, & non aliter.
Nec Prioribus sine Magistri licentia aut eius
locūtenentis extra Prioratum uel Castellaz
niam Emposæ exire licitum est, nisi negotio
nostri ordinis arduo impellente, uel aliud gra-
ue urgeat, quod commodè aliter fieri nō pos-
set. Nec cōmendatarius extra cōmendam re-
cedere possit, nisi ueniat ad conuentum in ser-
uitijs ordinis, aut fungatur officio legationis
uel alterius cōmissionis Religionis, uel si tute
in cōmendis manere nequeat. Aliter faciens

DE PROHIBITIONIBVS

do perdat redditus cōmendæ durante tēpore
sue absentie, qui ærario applicentur.

De fratribus uagabundis.

F. Antonius Fluiuanus.

12. **P**Ræcipimus ut omnes commendatarij &
fratres qui uagos Religiosos nostros ex-
tra limites sue obedientie absq; superioris li-
centia inuenerint, detineant, & in carcerem
conijciant. Notificentq; Priori uel Castellano
Empostæ, ut provideant secundum statutorū
nostrorum formam tanq; de inobedientibus.
Quòd frat. nō discedāt à cōuētu sine licētia

F. iacobus de Milly.

13. **N**on licet, nec quoquo modo permittitur
quibusuis ordinis nostri fratribus quaz-
cunq; dignitate officioq; fungētibus à conuen-
tu absq; expressa Magistri licentia in scriptis
redacta clam uel palàm discedere. Si quis au-
tem contra fecerit, eo ipso absq; alia monitio-
ne, uocatione aut citatione habitu, cōmendis,
& beneficijs priuetur.

Ne fratres occupent commendas.

F. Antonius Fluvianus.

Statuimus q̄ si fratres ordinis nostri per
 uim atq; uiolentiam seu contra uoluntatē
 Magistri, Prioris, et Castellani Empostæ, uel
 fratris ad quē id pertineret, præsumant usur
 pare, occupare, & retinere cōmendas, mem
 bra, domos, & alia quæcūq; bona aut benefi
 cia ordinis nostri, perdant habitum & carce
 ri mancipientur. Quibus si de habitu gratia fa
 cta fuerit, Baiuliā seu aliud regimen per dez
 cennium consequi non possint. Adycentes q̄
 Prior, Castellanus Empostæ ad instantiā fra
 tris cui cōmendæ, bona, uel beneficia occupa
 ta spectant, teneatur & debeat totis uiribus
 occupatorem expellere, & cōmendas aut be
 neficia in suam potestatem redigere, ac pos
 sessionē pacificā prouiso legitimē dare. Quōd
 si facere nequiuerint, ad hoc agendum bras
 chium sæculare inuocare possint uterq; tam
 Prior, q̄ frater ad quem cōmendæ spectabūt,

Id quoque Prior exequi tenetur sub pœna priuationis unius cameræ, quam amittat, si authenticè cōstabit ea exequi neglexisse. Nihilominus: quia in Prioratu Angliæ cōmendæ ordinis nostri pauca uel nulla fortalicia habent, quare uiolentia dari non potest: ideo Prior dicti Prioratus tenetur ad omnem requisitiōem fratris prouisi per Magistrum & cōuentum dare possessionem pacificam commendæ uel beneficij de quo fuerit prouisus. Et si talis frater ostenderit authenticè requisuisse occupatorem de habenda possessione et pariformiter Priorem, qui non obstāte instantia negligens fuerit in exequutione præmissorum, eo casu una suarum camerarum Prioralium priuatus censeatur, quæ quidem cameræ & cōmendæ per Magistrū et cōuentum concedantur fratri cuius cōmendæ occupantur.

Ne fratres impetrent literas cōmendatitias pro obtinendis cōmendis.

F. Elonus de Villa noua.

Prohibitum est sub inobedientiae poena ne
 aliquis frater cuiusvis conditionis fuerit
 literas cōmendatitias aut cōminatorias à quoq;
 impetret, ut cōmendas aut beneficia nostrī or
 dinis illarū uigore consequi aut obtinere poss
 sit seu quouis modo præsumat. Ab his tamen
 qui ordinem nostrū professi sunt literas obti
 nere licitum est, quibus uirtus benemeritorū
 cōmendatur, nec ex eorum repugnantia dam
 num sequi poterit,

F. Petrus Daubuffon.

Frater qui tales literas impetrauerit per
 dat ancianitatem per terminū decem an
 norū, facultas quoq; datur unicuiq; accusanz
 di & probandi impune contra tales : ut ab
 insolentia fratres cohibeantur.

Quod fratres qui officia ordinis nostrī
 exercent nauigia non arment.

F. Emericus Damboise.

Statuimus qđ de cætero nullus ordinis no
 stri frater cuiusvis gradus aut dignitatis

existat, qui habeat curam & administratio-
nem iustitiæ, ut puta senescallus noster, Ca-
stellanus, officiales, & qui custodiunt bona
ordinis nostri quemadmodū conseruator ge-
neralis, Magister domus nostræ, Receptor no-
ster, cōmendatarij tercinalis, granarij, & ar-
tilleriæ, & illi qui ab ipsis dependent per se
uel interpositas personas clam uel palam uel
alio quouis quæsito colore, nauigia pro bello
infidelibus inferendo siue cursu armare possint,
aut in armamento per alios facto partici-
pare, aut in armamētis iam factis perseuerare
sub pœna amissionis officij, de quo statim
prouideatur, ac si tempus statutum transactū
esset, atq; etiā confiscationis pretij armamen-
ti & lucri inde subsequuti in fauorem & cō-
modum nostri cōmunis ærarij, excepta tertia
prædictorum parte quæ accusatori dabitur,
sine aliqua diminutione uel remissione. Atq;
id ipsum statuitur de capitaneis galearum ac
ipsorum officialibus sub eisdem pœnis, si pro

curſu armauerint. Conceditur tamen ut pro ſocietate triremium, & pro habenda aliqua noticia, aut urgenti neceſſitate uel negotio, ſi bergantinos aut fuſtas armauerint, id ſine pœna & reprehensione facere poſſint. Si uero fraudulentè aliquis tam frater q̃ ſæcularis præſumpſerit nomē ſuum in dicto armamento falſo imponere, ac prædictis officialibus clam participare, eandem conſiſcationis pœnam incurrat, & de falſo puniatur, & tanquam periurus tractetur.

Quòd nemo i cōuētū nauigia armare poſſit, niſi de Magiſtri et cōcilij licentia.

P. Baptiſta de urſinis.

Sancimus quòd triremes, biremes & alia 18. cuiusuis generis nauigia à nullo ſiue fratre ſiue ſæculari in conuentu noſtro poſſint armari, niſi de Magiſtri & concilij ordinarij licentia. Qui cōtra fecerit nauigium perdat, quod cōmuni noſtro ærario applicetur.

De eodem.

DE PROHIBITIONIBVS

F. Petrus Raymondus Zacoſta.

19. **Q**uæ licentia in ſcriptis detur. Qui autē cum huiusmodi licentia armabūt præſtare teneantur cautionem idoneam, q̄ Chriſtianos & bona eorum non moleſtabunt aut deprædabuntur. Fratres autem noſtri hanc licentiam obtinere non poſſūt, niſi qui annos quinque in conuentu moram traxerint. Illi tamen qui in ſubſidium Religionis ex partibus occiduis uenire uoluerint, abſq; licentia armare poſſunt.

F. CLAVDIVS de la ſengle.

20. **F**ratres autem qui de licentia Magiſtri et concilij armauerint, ancianitate gaudēt, ac ſi in conuentu reſidentiam facerent. Non detur ſaluus conductus pyratis.

F. Petrus Raymondus Zacoſta.

21. **P**rohibemus ne de cætero concedatur ſaluus conductus pyratis, niſi per Magiſtrum & concilium ordinarium & urgenti neceſſitate: aliter non. Nec etiam detur ſaluus con-

ductus fugitiuis, aut mercatoribus fallitis,
nisi ex urgente causa.

De inducijs non ineundis, nisi per
Magistrum & concilium.

F. Baptista de vrsinis.

AD scandala & damna quæ oriri possunt 22.
sunt euitanda sancimus q̄ in ordine no-
stro non possint iniri, aut cōponi induciæ, uel
pax cum Turcis, mauris, aut alijs infidelibus,
nisi duntaxat cum deliberatione Magistri et
concilij completi. Quod si aliter factum sit,
penitus caducum censeatur.

De Bōbardis et machinis nō extrahēdis.

Idem Magister.

STatuimus q̄ bombardæ, colubrinæ, machi- 23.
næ, & artilleriæ bellorum usui aptæ, aut
etiam pulueres & salpetræ cōmuni ærario
spectantes nullo modo per quempiam ab insu-
la nostra seu locis Religionis nostræ extrahi
quauis de causa possint, et in alia loca trans-
ferri. Magister tamen & conciliū completū:

DE PROHIBITIONIBVS

si causa conueniens uidebitur, et necessitas urgeret: de taliũ trãsportatione et tracta decernere secundũ rerum ingruentiam poterũt.

Quod frat. nō se imisceāt bellis xpianorũ.

F. Ioannes Ferdinandus de Heredia.

24. **S**Tatuimus q̃ fratres ordinis nostri nō implicent se bellis et gentibus armorũ Christianorum adinuicem. Quod si quis cōmiserit, habitum perdat, quẽ si de gratia speciali recuperauerit, cōmendarum, bonorum, ac etiam beneficiorum nostrorum administratione per decem annos priuetur, quã habere non possit, nisi decẽnio elapso. Inhibentes Priori, & Castellano Empositæ ac commẽdatarijs ne dent licentiã fratribus se exercendi in bellis Christianorum, nisi eis iniunctum esset à principe uel domino Prouinciæ, quia tunc licentiam concedere possunt. Attamen eo in casu arma seu insignia Religionis deferre non possunt: sed si pro defensione Religionis uel in comitiua Prioris talibus bellis se immiscuerint, tũc

insignibus ordinis nostri uti possunt.

Quòd nemo petat officiũ in concilio.

F. CLAVDIVS de la sengle.

PROhibemus fratribus ordinis nostri ne 25.
de cætero ad petenda officia ad conciliũ
accedant, nec Magister & concilium quemq;
ad petitionem eorum admittant, sed prout
quempiam ad exercenda officia aptũ & ido-
neum cognouerint, ei dicta officia cõmittant.
si quis contra fecerit, toto eo anno nullum or-
dinis nostri officium consequi possit.

Quòd nullus sine habitu ambulet.

Idem Magister.

Qui sine habitu ordinis nostri ambulat 26.
querit, idest, qui crucem lineã uesti suæ
insutam palãm & apertè nõ tulerit, pro pri-
ma uice condemnetur ad quarantenam, pro
secunda ad carcerem turris per tres menses,
pro tertia habitu priuetur.

Quòd nullus ferat cruces aureas.

Idem Magister.

27. **P**rohibemus ne quis fratrum nostrorū de
cætero cruces aureas ad figurā habitus
nostri formatas collo appensas publicè defe-
rat. Qui contra fecerit, eam crucem perdat,
quæ nostro communi ærario applicetur, &
pœna septenæ puniatur.

Quòd ante cōdemnationem nemo dicitur
esse in iusticia, quo minus assequi
possit commendas.

Idem Magister.

28. **S**i quis fratrum nostrorū propter aliquod
delictum, culpam uel negligentiam inquisi-
tus, uel accusatus fuerit, nō censeatur esse in
iusticia quantum ad obtinendas commendas
nostri ordinis, quæ ei contingere possent, nisi
postq̃ pro eo delicto cōdemnatus fuerit, etiā
si in carcere detineatur. Condemnatus autē
durante condemnatione priusq̃ sit legitimè
absolutus, uel pœnam sibi iniunctam cōpleue-
rit, nō possit cōmendā, beneficium, aut aliud
ordinis nostri officium consequi.

Quòd

Quòd frat. tumultus ī Albergijs nō faciāt.

Idem Magister.

Si qui fratres nostri in Albergijs in quibus 29.
comedunt insolenter et imoderatē se gesserint, tumultus concitauerint, ianuās, ostia, scamna, mensas, uel aliud quid simile fregerint, aut temerariē proiecerint puniantur poena Magistro & concilio beneuīsa usq; ad diminutionem ancianitatis inclusiuē. si autem pilerij famulos, pueros, aut seruos percusserint aut uerberauerint, si sine sanguine pro prima uice sint in quarātena, pro secunda in turri per sex menses, pro tertia perdāt duos annos suae ancianitatis. si cum sanguinis effusione et uulnus sit leue, pro prima uice sint in turri per semestre, si uulnus fuerit graue & enorme perdāt ancianitatem.

De eodem.

F. Fabritius de Carreto.

Statuimus q; nullus fratrum nostrorum 30.
præsumat secum ducere ad dictas Albers

gias personas urbis, castelli, uel aduenas causa comedendi, nisi sint re uera & cum effectus sui seruitores seruendo continuè domi, et ibidem dormiendo, & habendo stipendium aut uestitū à dicto suo patrono: aliàs à dictis albergijs eyciantur. Et simile uolumus obseruetur in domibus uenerabiliū Priorum, Baiu liorum, cōmendatariorum, & fratrum qui faciunt tabulas fratribus.

Casus per quos fratres habitu priuātur.

F. Nicolaus Lorgue.

31. **I**ndignum est ut qui sese grauissimo scelere inficiunt habitu ordinis nostri insigniti incedant. Qui ergo facinora quæ sequuntur perpetrarint, & de eis conuicti fuerint, habitu perpetuò priuentur. Hæreticus, sodomista, latro, fur, profuga ad infideles. Is quoque qui uexillum seu stendardum ordinis nostri in bello infidelium explicatū reliquerit. Qui deserit fratres in pugna. Qui castellum aut locum infidelibus dediderit, cōsultores quoque

& conscij huiusmodi deditiois: quod tamen cognitioni Magistri & Procerū reseruatur. Præterea, qui castellum situm in confinibus infidelium alio loco exierit q̃ porta. Qui etiā trina uice cœtum fratrum sponte sine licētia reliquerit, ut ad aliam se transferat Religio- nem, amplius in nostram nō admittatur. Qui falsum testimonium tulerit, Qui aut equester aut pedester intenderit deprædationi in exercitio armorum habitum perdat, quem reassumere non possit ante unius anni lapsum. Frater etiā qui alium fratrem accusabit de alio quo casuum prædictorum, offeretq; se illud probaturum, si suam intentionem non probauerit, habitum perdat.

F. CLAVDIVS de la sengle.

Falsarij quoq; literarum tam ordinis nos-
stri q̃ aliorum, & qui de periurio conui-
cti fuerint habitu priuentur.

F. Petrus de Corniliano.

Frater qui homicidium commiserit, habitu

perpetuò priuetur, & carceri mancipetur: ne
tantum facinus cæteri cõmittere præsumant,
& nostrorum cõtus cõmilitonum pacificus
& quietus reddatur.

F. CLAVDIVS de la sengle.

34. **Q**ui proditoriè, & ex occulto, uel consi-
lio meditato alium fratrem uel sæcu-
larem, quamuis leuiter uulnerauerit, habitu
perpetuò priuetur.

De percussoribus.

Consuetudo.

35. **S**i frater alium fratrem percusserit, sit in
quarantena, & si uulnerauerit ad sangui-
nem, excepto naso uel ore, perdat habitum.
Et si nitatur percutere gladio aut lapide uel
alio genere armorum, & tamen non percus-
serit, sit in quarantena.

De prouocatore ad duellum.

F. Fabritius de Carreto.

36. **S**tatuimus quòd si frater alium fratrem
scripto, internuncio, aut uerbo ad duellum

prouocauerit, siue diffidauerit, & alter acceptauerit, & ad locum assignatū uenerint, et sanguinis effusio fuerit subsequuta, etiam leuis, ambo sine aliqua remissione perpetuò habitu priuentur, & carceribus mancipētur. si uerò sanguis eorum nō fuerit effusus, tantum ex eorum ancianitate dematur, quantū Magistro & concilio beneuissimū fuerit in fauorem filiorum Arnaldorū. si uerò unus prouocauerit, & alter nō acceptauerit, prouocator ad minus tres annos ancianitatis perdat.

De fratribus qui tumultus de die aut de nocte faciunt.

F. CLAVDIVS de la sengle.

Statuimus q̄ frater qui contra fratrem aut alios in cōuentu uel alijs locis insularum nostrarum quouis armorum genere diurnos aut nocturnos tumultus fecerit, perdat habitum. si qui uerò noctu laruati aut dissimulato habitu uel cū armis lōgis hastatis, aut scloppis et secretis armis cooperti per turmas

uel soli incedentes, uel per turmas sine armis
longis reperti fuerint, sint in turri per sex
menses.

De iuramentis.

Consuetudo.

38. **S**i frater palam iurauerit, pro prima uice
smoneatur, pro secunda sit in septena, pro
tertia in quarantena, pro quarta si in delicto
perseuerauerit perdat habitum.

De blasphemis.

F. Petrus Daubusson.

39. **S**tatuimus q̄ qui sacratissimum Dei nomē,
ac Beatæ Mariæ uirginis, & sanctorum
eius blasphemauerit, uel abnegauerit, pro pri
ma uice sit in quarantena, pro secunda in tur
ri per bimestre, pro tertia in carceribus ad
ordinationem Magistri & concilij.

De iniurijs.

F. CLAUDIUS de la sengle.

40. **F**rater qui rixatus fuerit & calore iras
cūdiæ accensus alteri fratri iniuriosa uer

ba dixerit poena quarantenæ puniatur: etiam si fateatur se mentitum fuisse, atq; eum poenitere tales iniurias protulisse. si uerò contumeliosè dixerit, eum mentitum fuisse, perdat duos annos ancianitatis. si uerò infamiam irrogauerit, poena erit arbitrio Magistrì & cōciliij, quam statuent secūdum qualitatem personarum, & infamiæ. si baculo, arundine, alapa, & his similibus fratrem percusserit, tres annos ancianitatis perdat.

De percussoribus sæcularium.

F. Petrus Raymondus Zacosta.

Statuimus q̄ quicunq; frater ordinis nostri 41.
Magistri baculo, ense, aut alio genere gladij personas sæculares ceciderit, aut uerberauerit, clam uel palàm, per se uel per alios turri coerceatur per bimestre. si autem graue uulnus uel enorme intulerit, perdat ancianitatē: quam poenam pariformiter incurrat, si banzulas, uel partialitates duelli pro quocunq; cæperit. si uerò homicidium cōmiserit, habitu

priuetur, quem nullo unq̃ tempore adipisci possit, sed perpetuo carcere teneatur. Ita q̃ propter hos casus nullo modo delinquentes possint poni in septena uel quarātena, q̃ si po-
nantur, nihilominus dictis pœnis plectentur.

De molestatoribus populi.

F. Emericus Damboise.

42. **S**tatuimus q̃ quicunq; ordinis nostri frat-
ter præsumpserit sine superioris licentia
aut extra comitiū alicuius Venerandi Ba-
iuliui uel pilerij aut anciani diurno tempore
ad urbem accedere, sit in septena. Si uerò nō
inuitatus, & sine præfata comitiua absq; uo-
luntate patris familias domum quorumuis ci-
uium uel populariū intrauerit, & eorum cō-
uiuijs, choreis, nuptijs, aut alys negocijs in-
tererit, perdat ancianitatem duorum annorū
in fauorem filiorum Arnaldorum sine spe ue-
niæ. si uerò diurno uel nocturno tēpore præ-
fatorum subditorum nostrorum portis aut fe-
nestris quouis modo uiolentiam fecerit, ultra

præmissa sit in aspero carcere ad ordinatio-
nem Magistri & concilij, & accusator pote-
rit uti sæcularium personarum testimonio.
Eandem etiam ancianitatis poenam incurrat,
qui laruas seu camisellas fecerit.

De eodem.

F. CLAVDIVS de la sengle.

Si quis uerò portas aut fenestras noctu fre- 43.
gerit, uel eas muro uel cemento obtura-
uerit, uel aliqua immunda materia obliuerit,
aut lapidibus pulsauerit, perdat trium anno-
rum ancianitatem. Relinquentes Magistri et
cōcilij arbitrio i eos, si uisum fuerit, grauius
animaduertere. Si autē ignem iniecerit et cō-
buserit, habitu priuetur, si iniectus ignis nō
nocuerit, priuetur ancianitate triū annorū.

Ne quis apponat manum spolys aut
iuribus ærarij.

F. elionus de villa noua.

Bona spoliū fratrū nostrorū ple. 44.
no iure nostro communi ærario spectant.

& pertinent. ideo nulli licet, nec aliquo modo permittitur, nisi his qui auctoritatem ab ærario habent sumendi, tractandi, aut capiendi pecuniam, uasa argentea, aurum, argentum, iocalia seu quæcunq; alia bona fratrum decedentium. Qui contra fecerit, si quod captum fuerit, marcham argenti excedat, habitu priuetur: si intra marcham dñum fuerit, quarantæ pœna plectetur. pariformiter q; manus responsionibus, & iuribus ærario, Magistro & conuentui pertinentibus, apposuerit, aut ea surripuerit, perdat habitum, et nibilosus quod subtractum fuerit ex bonis delinquentis cõmuni ærario resarciatur.

Moderatio præcedentis statuti.

Idem Magister.

45. **E**T quia id rigidum seuerumq; nimium uidetur, ut pro quolibet excessu ultra marcham argenti Religiosus habitum perdat, cū delicta circũstantijs plurimum grauetur, eius quoq; delicti qualitas sit consideranda, & ma

turo concilio ponderanda. Quotiescūq; igitur querela de damno ultra marcham argēti per Magistrum fiet, primum querela ad conciliū deferatur, ubi maturè delictum discutiatur. Attestationibus quoq; authēticis et legitimis, uel rei & accusati confessione delictum innotescat, & causa querelæ lucidius appareat. Quibus peractis, in publica assemblea iteratione querela fiat, & coram sgardio reo audito maturè & cōsultè agitetur, discutiatur, atq; delicti de quo fit querela, qualitate, circūstantijs quoq; et rei seu accusati uita, cōditione, et conuersatione, meritisq; pensatis, & cum grauitate consideratis, iusticia æqua lance et statuta administretur.

De occupatoribus arcium Religionis.

F. Deodatus de Gozono.

Insolentiam peruersorū opprimere cupiens 46.
tes sancimus q̄ quicunq; frater ceruicem in superiorem erigens Castellum aut fortalicium contra superiorem uel Priorem et Cas

stellanum Empostæ rebellabit, tenebit aut occupabit, pœna habitus damnetur & in carcerem tradatur.

De concubinarijs.

F. Antonius Fluuianus.

47. **O**ptima ratione sancitum est, ut nullo pacto fratribus ordinis nostri cuiusvis fuerint conditionis liceat concubinas in propria domo aut extra habere, tenere, aut educare earumq; consuetudine uti. Quod si quis postposita bonæ famæ celebritate contrarium facere præsumpserit, & publica laborante fama attestationibus fide dignis aut propria confessione hoc crimine conuictus fuerit, trina monitione à superiore prius facta ut desistat, & infamiæ delictum abijciat: si nihilominus quadraginta dies à prima monitione facta computandos contumaciter persequeretur, si delinquens cōmendatarius fuerit, eo ipso nulla alia solemnitate requisita cōmendis priuatus censeatur. si uerò frater cō-

uentualis eo ipso perdat ancianitatem, & nihilominus tales conuicti in habitus priuationē labantur, quem si recuperauerint, à die restitutionis habitus per decennium ad cōmendas consequendas inhabiles reddātur. si uerò frater obediētiae fuerit, pariformiter omni administratione & habitu priuetur. Priores quoque & Castellanus Empostae pari crimine conuicti: & contra eos per Magistrum & conuentum modo quo supra prouiso: si contumaces fuerint, priuationem prioratuum & habitus eo ipso incurrant, quemadmodum de alijs sancitum est.

De eisdem.

F. Philippus de Villers Lisleadam.

SI quis fratrum nostrorum natum sibi ex 48.
incestuoso cōplexu filium (quem ne inter liberos quidem nominandū leges uolunt) impudenter agnouerit, & palàm quasi suū aluerit, suo familiari ac gentilicio cognomine imposito, is nullū unquā in ordine nostro officiū,

DE PROHIBITIONIBVS

beneficium, dignitatem consequi possit. Publicos autē cōcubenarios in nostro ordine (quos rectius incestuosos, adulteros, & sacrilegos dixerimus) ad susceptionem quorūcūq; bonorum, dignitatum, officiorū, beneficiorum ue inhabiles esse uolumus. Et si quid habent, illo à nobis non immeritò exutos, fratrum quoq; nostrorum numero eximendos decernimus. Publicum autem cōcubinarius intelligimus, non tantum (ut Canones uolunt) eum, cuius concubinatus per sententiam aut confessionē in iure factam seu per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari., notorius est: uerum etiam eum, qui nullo hominum pudore, & sp̄ito Dei timore professionis suæ immemor mulierem de incontinentia suspectam, aut infamatam tuetur, seu (ut dicitur) tenet alitq; , & cum ea simul habitans frequentem habet consuetudinem.

Casus quidam propter quos fratres incurrunt pœnam septenæ.

Consuetudo.

Qui non interest in Aſſemblea, qui rez 49.
cedit ab officio diuino, qui pro ſe ipſo
rogat, ut liberetur à iuſticia, qui eſt in ſepte-
na & ſurgens non reddit gratias, qui inter-
rumpit ſermones conciliariorum in concilio,
qui comedit ſine habitu: ſi fratres adinuicē
calumniati fuerint, ſi ſuperior de eis querelā
fecerit, quilibet ſit in ſeptena.

Cafus quidam propter quos fratres in-
currunt pœnam quarantenæ.

Consuetudo.

Primò qui non obedit præceptis in factis 50.
armorum, non poteſt incurrere pœnam
minorem quarantena. Qui aleas, aut ludum
taxillorū uel alios fortuitos pro denarijs exer-
cent. Qui intromittunt ſe de officio alterius,
pœnam quarantenæ incurrunt. Frater qui
comedit in camera uel loco prohibito ſine li-
centia, ſit in quarantena.

Forma executionis pœnæ ſeptenæ.

Consuetudo.

51. **F**rater qui erit positus in septena septem diebus continuis ieiunabit, ac quarta & sexta ferijs ipsorum septem dierum pane et aqua dūtaxat uesci debet, & illis diebus recipiat disciplinam hoc modo. Deposito pallio siue mantello, flexis genibus ante altare coram sacerdote ordinis nostri humiliter stabit, qui uirgā dorsū percutiens dicet Psalmū. Deus misereatur nostri &c. Kirie eleison. Christe &c. Kirie. &c. Pater noster. &c. Vers. saluum fac seruum tuum. Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Mitte ei domine auxiliū de sancto. Resp. Et de syon tuere eū. Vers. Esto ei domine turris fortitudinis. Res. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meā. Res. Et clamor meus ad te ueniat. Oratio. Deus, cui proprium est &c. Postea uerò surget frater, & accipiens pallium siue mantellum, superiorem seu Baiulium osculabitur.

Forma

Forma executionis poenæ quarantenæ.

Consuetudo.

SI uerò positus fuerit in quarantena, quaz s2.
draginta diebus continuis ieiunabit, &
quarta ac sexta ferijs dictorum quadraginta
dierum pane & aqua tantū uescetur, comes
dens in terra. Qualibet uerò quarta et sexta
ferijs disciplinam suscipiet modo sequenti.
Comparebit coram sacerdote omnibus uesti
bus nudatus & pedibus discalceatus, pres
byteroq; doctum eius uirga percutiēte, dicet:
Miserere mei Deus &c. cū orationibus præ
dictis. Qui ad septenam uel quarantenā con
demnati fuerint, non debent recedere à suis
domibus, nisi cum uadunt ad Ecclesiā, debent
autem interesse omnibus officijs diuinis. Qui
ad duas uel tres quarātenas aut septenas cō
dēnati fuerūt, unius tātum quarātenæ uel sep
ptenæ disciplinā suscipient. Si uerò erit iudi
catus ad poenā quarātenæ et septenæ, patia
tur disciplinā quarātenæ tantum: sed eo tēpo

B b

DE PROHIBITIONIBVS

re arma deferre nō poterūt, et ueste lōga cū
chlamyde habitus nōstri induti incedent.

De eo q̄ ter ad turrim cōdēnatus fuerit.

F. Petrus Daubusson.

53. **S**ancimus quòd quicunq; frater, delictis
suis ita exigentibus, ter ad turris carcerem
condemnatus fuerit, priuetur ancianitate
trium annorum, tamen pro delictorū qualitate
moderatio pœnæ reseruatur arbitrio
Magistri & concilij ordinarij.

De his q̄ extra cōuentū habitū dimiserint.

F. Elionus de Villa Noua.

54. **S**i frater diabolico spiritu ductus, aut incō
stantia motus extra conuentum propria
auctoritate habitum nōstri ordinis dimiserit,
postea pœnitētia ductus ad ordinem reuerti
uoluerit, tunc tutē & liberē in conuentum
uenire, & hospitale infirmorū intrare possit.
Cui infirmarius de necessarijs prouideat do
nec de illo per Magistrū et cōuentū super mi
sericordia danda aut deneganda ordinatum

fuerit. Quod si misericordiā non cōsequetur,
eundi quo sibi placuerit facultas conceditur.

De obedientia.

F. CLAVDIVS de la sengle.

Nihil est quod maiori cura et studio tue ss.
ri debeamus q̄ obedientiam, qua subla-
ta omnis societas dissoluitur. itaq; maiorum
nostrorum statutis adhærentes decernimus
ut omnes & singuli fratres nostri cuiuscūq;
sint gradus aut cōditionis iustis & honestis
magistri & superioris iussis, præceptis, ac
mandatis nulla excusatione parere & obtem-
perare debeant. Quod si frater in conuentu
existens eorum mandato non obedierit, pro
ea prima inobedientia poenā septenæ subeat.
si secundo etiam obedire recusauerit, quaran-
tena puniatur. si uerò ita se cōtumaciter ges-
serit, ut tertio iussus non pareat, habitu pri-
uetur, quod ita intelligitur, si de eo querela
post quodlibet iussum non impletum facta
fuerit. idem ordo seruetur extra cōuentum

DE PROHIBITIONIBVS

in Prioratibus. Pœna priuationis habitus Magistro et cōuentui semper reseruata: ad quos processus contra rebelles confecti à Prioribus mitti debeant. Præterea si quispiam fratrum nostrorum extra conuentum existens primo mandato Magistri & conuentus obedire noluerit, ubi primum de eius inobedientia & rebellionē cōstiterit, absq; alia citatione, monitione, aut processu, nisi intra nouem menses à die intimationis mandati legitimas & sufficientes causas impediementi miserit, habitu priuetur. Ad officium Priorū & Castellani Empostæ & eorum locatenentiū spectat executioni mandare in suis Prioratibus & Castellania Empostæ suis impensis sententias, & ordinationes Magistri & cōuentus, capitulorum etiam generalium et prouincialium & alias prouisiones, mādata, citationes, & rescripta omnia ipsius Magistri & conuentus, quæ pro publicis ordinis nostri negocijs facta fuerint, & ad eos directæ: quæ autem

priuatorum negocia spectabunt, impensis eorum qui dictorum mādatorum executionem prosequuntur. Quòd si requisiti id facere neglexerint, aut recusauerint, pro prima omissione seu recusatione, amittant fructus pro uno anno alicuius camerarum suarum Prioralium: si secundo, fructus duorum annorū: si tertio, fructus ipsius cameræ perpetuò applicentur nostro cōmuni aerario. Si uerò perstinaciter in ea negligentia & omissione perseuerauerint, prioratu & omni administratione priuentur. Mandantes Receptoribus nostris in dictis Prioratibus et Castellania Empostæ, quòd si Priores uel Castellanus Empostæ dictas impensas facere recusauerint, ipsi supplere debeant de pecunijs nostri cōmunis aerarij, et de illis summis quas pro ea re exburstabunt, dictos Priores & Castellaniū Empostæ in suis cōputis debitores scribere. Quòd si tales prouisiones, mandata & rescripta directa forent ad Baiuliuos, cōmendatarios &

DE PROHIBITIONIBVS

alios fratres, pro prima omissione & recusatione Baiuliuus & cōmendatarius priuentur fructibus unius anni Baiuliuatus aut cōmendæ: pro secunda duobus tertijs: pro tertia totis fructibus cōmendæ ærario applicandis: pro quarta cōmenda priuentur, de qua Magister & conuentus prouideant, si uerò fuerit frater conuentualis, pro prima amittat unū annū ancianitatis, pro secunda duos, pro tertia tres, pro quarta in perpetuū, nisi supradictis omnibus in cōmissione maior pœna imponatur: et nihilominus teneātur ad refectio-
nem damnorum & interesse partium.

De malis administratoribus.

Idem Magister.

56. **Q**ui Prioratus, Castellaniæ Empostæ, cōmendas, domos, aut alia bona suæ administrationi cōmissa culpa sua aut negligentia deteriora fecerit, statim ubi de dicta deterioratione consliterit Prioratu, Castellania Empostæ, cōmendis, officijs, & omni admini-

stratione in perpetuum priuetur tanq̃ admistrator inutilis & bonorũ nostrorum dissipator sine spe alias consequendi. Eadem pœna punientur, qui siluas ueteres (quas nemoſra alta uocant) cœciderint, præterq̃ pro reparatione cômendæ et ædificiorum quorum curam habet, & pro moderato usu domus in qua ipse habitat, qui usus itelligitur de lignis siccis & fructum non ferentibus. Cæduas tamen siluas, quæ renascuntur & repullulāt, et statis annis cædi solent, uti poterunt more regionis & loci in quo sitæ sunt.

De pœna eorũ q nō itersunt officijs diuinis.

Idem Magister.

Fratres nostri q diebus sēstis nō interfuerint officijs diuinis ī Ecclesia nostrī cōuentus, & præsertim Missæ maiori, vesp̄eris, et processionibus solemnibus, nisi legitime impediti fuerint, septenæ pœnam subeant. Qui uerò tempore celebrationis diuinorum officiorũ diebus sēstis in plateis, uel per uicos, aut etiā

B b iij

DE PROHIB. ET POENIS Tit. xviii.
in alijs ecclesijs deambulantes reperti fuerint,
quarantena puniantur.

Quòd fratres in iudicio nō utantur iniurijs.

Idem Magister.

58. **P**ROHIBEMUS fratribus nostris, ne coram
Magistro & concilio, aut in quouis alio
ordinis nostri tribunali uel coram quibusuis
cōmissarijs inter litigandum se inuicem con-
uicijs, aut uerbis iniurijs afficiant. Qui con-
tra fecerit, si grauis iniuria fuerit, de causa
cādāt, ita ut eo ipso sine aliqua probatiōe aut
allegatione in fauorē partis aduersæ cui iniu-
ria illata fuerit, sententia feratur, & in
carcerem turris conijciatur per sex
menses: si uerò leuis, per tres
menses tantum.

